



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An, & de quonam Salario pacisci licitè possit Advocatus solvendo à
suo Cliente?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

straneas dilationes, & exceptiones, quibus Clientes per sepe prius suarum facultatum finem vident, quam litis terminum.

155 Ad 3. Q. an, & de quonam salario pacisci licite possit Advocatus solvendo à suo cliente? R. posse pacisci de salario sibi solvendo, sive causam evincat, sive litem perdat; quia potest salarium à suo Cliente exigere, etsi de eo solvendo nihil conventum sit, cum nemo teneatur suis stipendiis militare, *C. cum ex offic. 16. de prescript. si tamen aliunde à Magistratu pretium, seu salarium constitutum est, aut à lege, vel consuetudine taxatum, nequit majus, quam taxatum sit, exigere, quia tenetur quilibet legem servare, justè pretium taxantem; recipere tamen majus potest, si spontè, & liberaliter offeratur. Quòd si salarium à lege, vel consuetudine taxatum non sit, tantum potest duntaxat recipere, quantum judicio prudentis viri videbitur, habita ratione laboris, dignitatis, scientiæ, & difficultatis causæ, l. preses 7. §. in honorariis, 10. ff. de extraord. cognit. Ubi advertunt Clavis Reg. n. 10. Bonac. D. 10. q. 3. p. 4. Less. citr. Azor, & alii, Ad-*

vocatum non teneri in omnibus casibus eandem adhibere diligentiam, sed majorem, vel minorem pro negotii, & causæ qualitate, ideòque si causa difficilis sit, vel magni momenti, teneri majus studium adhibere, quam si facilis sit, vel exigui momenti. De quota tamen litis, sive de certa parte rei litigiosæ sibi solvendæ, si vicerit, neutiquam pacisci potest, uti neque de Palmario seu de extraordinario aliquo ultrà salarium Ordinarium in eventum victoriæ, seu si victor evaserit; nam id vetitum est à pluribus legibus, *l. 56. C. b. tir. l. 53. ff. de pact. l. 1. §. 10. extraord. cognit. &c.* Idque ideò quia tale pactum censetur maximè invitare, & alicere Advocatum ad delinquendū, ad adhibendos dolos, fraudes, & quævis alia media illicita pro obtinenda sententia favorabili, & causæ victoria. Licet tamen Advocato pacisci de certo pretio solvendo moderato, sive Cliens vincat in causa, sive vincatur, quia in tali casu cessat ratio, ob quam jura pactionem de quota litis prohibuerunt, scilicet periculum fraudis, doli &c. estque hujusmodi pactione, ac promissio permessa, *l. 1. ff. mandati.*



CA-